



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Art. III. De Egressu Christi in Mundo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

deceat modum; imò suppositis vaticiniis asserentibus, Mes-
 sam similia miracula patraturum, simpliciter necessarium
 fuisse, talia à Christo miracula patrari. 3. Eadem miracula
 tum ob ipsam speciem operum, tum ob modum patrandi
 (scilicet propria potestate, & non orando, ut alii facere
 solebant, eadem patravit) fuisse non tantum sufficientia ad
 doctrinam Christi persuadendam (hinc ipse dicebat Jo. 10.
Si quis non voluit credere, operibus credite.) Sed etiam ad divi-
 nitatem ejus demonstrandam, prout conjuncta fuerunt cum
 prophetiis Messiam Deum fore prædicentibus, & ipsa asser-
 tione Christi se Deum esse affirmantis, unde Jo. 5. dixit: *scri-
 pturæ sunt, quæ testimonium prohibent de me; sine his enim
 non absolute potuisset ex miraculis cognosci cum etiam pu-
 erum per Dei virtutem similia miracula patrare potuif-*

IX. Q. 9. *Quid de Transfiguratione doceant Theologi?*
 Iterum tria præcipuè à S. Thoma q. 45. doceri. 1. Con-
 venienter hanc Transfigurationem esse factam, ut contem-
 platione semper manentis gaudii ad breve tempus delibata,
 minus Apostoli adversa tolerarent. 2. Claritatem, quam
 Christus habuit, fuisse quoad essentiam, ipsam clarita-
 tem gloriæ, in hoc tamen distinctam, quod gloriæ claritas sit
 manens, hæc verò transiens fuerit, unde nec dotis glorio-
 rum proprie merebatur. 3. Convenienter pro testibus
 Transfigurationis partim Moysen & Eliam velut præ-
 cædentes; partim Apostolos velut sequentes elegisse, ut o-
 mnes se gloriam antecedentibus ipsum, & subsequenti-
 bus communicaturum.

ARTICULUS III.

De Egressu Christi ex Mundo.

I. De hoc sequentia capita tractat S. Thomas à q. 46. vi-
 detur de passione, de Morte, de Sepultura, de descensu ad in-
 fernum, de quibus in hoc quoque articulo totidem quæstiones
 proponuntur.

II. Q. 1. *Quid de Passione Christi doceant cum S. Tho-
 ma Theologi?* Resp. Sequentia communiter doceri. 1. Passio-
 nem seu dolores Christi fuisse tam extensivè, quàm intensivè
 summos

summos, & majores, quam ullus unquam hominum in terra
 haecenus passus fuerit, vel deinceps passurus sit. *Extensivè*
 quidem, quia passus est ab omni genere hominum, Gen-
 tibus scilicet & Judæis, Maribus & Feminis: in omni genere
 bonorum, Amicorum videlicet, famæ, honoris, corporis, & animæ,
 bonorum externorum; in omnibus membris & sensibus.
Intensivè autem, quia acerbissimos hos dolores effectum
 tum ipsæ causæ passionis; tum conditio subjecti, scilicet
 aëra complexio corporis, & firmior, clariorque app-
 hensus animæ; tum ex puritate dolorum & tristitia
 qui per nullam considerationem rationis temperabat-
 tum ex libera voluntate Christi, quâ tantam quantitatem do-
 lorum assumpsit, quantum sciebat esse proportionatam ma-
 gnitudini fructus, qui inde sequebatur. 2. Passionem
 tam quoad genus & circumstantias mortis, quam quoad
 locum & tempus convenientissimam fuisse; nam supponitur
 ligni elegit, ut responderet peccato primi Parentis per
 pomi ex ligno verito decerpti; tam acerbos dolores tollere
 copiosior esset redemptio, abundantior caritatis, & clarior
 justitiæ divinæ in peccatis vindicandis demonstratio: tam
 duos Latrones crucifigi voluit, ut, quemadmodum S. Thomas
 q. 46. a. 11. ait, in ipsa patibuli specie monstraretur illa, quæ
 in judicio ipsius, omnium hominum faciendâ est differe-
 ntiâ ut S. Augustinus tr. 3. 1. in Joann. dicit, *ipsa crux, quæ
 dicitur tribunal fuit; in medio enim iudice constituto, unus
 credidit, liberatus: alius, qui insultavit, damnatus est: hoc
 significabat, quid facturus esset de vivis & mortuis, alios
 ad dextram, alios verò ad sinistram.* 3. Eandem passionem
 causavisse nostram salutem tum per modum meriti, & hoc
 abundantis satisfactionis (propter excessum caritatis, et quod
 patiebatur: & propter dignitatem vitæ, quam pro nobis
 datione ponebat: & propter magnitudinem doloris assump-
 tum per modum Sacrificii & Redemptionis, cum tota pas-
 sione facta fuerit in honorem Dei ad ipsum placandum, & per
 eandem nos à servitute Diaboli redemerit. 4. Effectus pas-
 sionis Christi fuisse remissionem peccatorum, tam quoad
 penam, quam quoad pœnam; liberationem à potestate Diaboli,
 & Christi exaltationem, uti fufius S. Thomas totâ q. 46.
 monstrat,

III. Q. 2. *Quid de Morte Christi doceant S. Thomas & Theologi?* Resp. Sequentia ferè. 1. Christum convenienter mortem elegisse, tum ut satisfaceret melius pro genere humano morti adjudicato; tum ut veritatem naturæ assumptæ ostenderet; tum ut moriendo nos à timore mortis liberaret; tum ut ad moriendum Spiritualiter peccato nos incitaret; tum ut à mortuis resurgendo virtutem suam contra mortem ostenderet, & nobis Spem resurgendi à mortuis faceret. 2. Animam Christi verè fuisse separatam à corpore, non tamen divinitatem, sed hanc cum corpore & anima manserit unitam, atque adeò secundum proprietatem verborum non fuisse verum dicere: *Christus in sepulchro iacet*; cum hoc nomen solum supposito subsistenti in duabus naturis conveniat; sed solummodo per Synecdochon similes propositiones formari potuisse, tribuendo parti totius appellationem. 3. Mortem hanc Christi juxta communioem sententiam anno trigesimo tertio expleto, die 25. Martii; circa horam tertiam pomeridianam contigisse, uti fufius quoad regulas partes Tann. q. 3. du. 2. ostendit.

IV. Q. 3. *Quid de Sepultura Christi doceant S. Thomas & Theologi?* Resp. Tria præcipuè. 1. Christum sepeliri voluisse, tum ad veritatem mortis comprobendam; tum ad Resurrectionis faciendam iis, qui in sepulchro erant; tum ut Resurrectio illius mirabilior appareret. 2. Corpus Christi in sepulchro non fuisse incineratum, ne illius mortis immutatio Naturæ adscriberetur. 3. Unà duntaxat die, & octiduo noctibus ipsum in sepulchro jacuisse, quia per unam tantum mortem à duplici morte, animæ scilicet & corporis liberatus sumus:

V. Q. 4. *Quid de Sepultura Christi, & descensu ad Inferos S. Thomas & Theologi doceant?* Resp. Sequentia ab iis sentiuntur. 1. Christum verè & quoad substantiam animæ in Inferos descendisse. idque ab ipso factum, tum ut liberationem hominum ab inferno melius significaret; tum ut vincere duceret; tum ut potestatem suam in inferno etiam ostenderet; tum quia, cum ille locus pro Sanctis animabus deputatus fuerit, non potuit anima illius aptiori loco consistere. 2. Eandem Christum substantialiter ad solum limbum Inferorum descendisse, ibique deventis essentialem beatitudi-

nem contulisse, ac probabiliter etiam ex limbo eduxisse, que in quodam aëris loco detinuisse usque ad ascensionem ad purgatorium verò & infernum tantum quoad effectum descendisse, animabus scilicet purgatorii solatium aliquo per spem gloriæ factam afferendo, & aliquos fortè etiam omnino liberando; damnatos verò de sua malicia & indulditate confutando, ut loquitur S. Thomas q. 52. a. 2. 3. animam Christi toto illo triduo in limbo mansisse, uti S. Thomas, & omnes Scholastici, teste Tann. l. c. n. 79. docent Nicephorum volentem eadem horâ, quâ ad Inferos descendit, rediisse cum Patribus è limbo eductis.

ARTICULUS IV.

De iis, quæ spectant ad exaltationem Christi.

I. Ad hunc articulum quatuor pertinent quæstiones à S. Thoma à q. 53. tractatæ, scilicet de Resurrectione Christi, de Ascensione, de Sessione ad dexteram, de judiciaria potestate, de quibus totidem hic quæstiones proponuntur.

II. Q. 10. *Quid de Resurrectione Christi docent S. Thomas & Theologi?* Resp. Sequentia ab iis doceri. 1. Inconvenienter factam esse, tum ad commendationem divinæ justitiæ, cui convenit exaltare illos, qui seipfos propter Deum humiliant; & merita justorum digna retributione compensare; tum ad confirmationem fidei de divinitate Christi, tum ad erigendam spem nostram de resurrectione olim sortitura; tum ad informationem vitæ nostræ, ut, sicut ille resurrexit; ita nos in novitate vitæ ambulemus, ut Apostolus ad Rom. 6. monet. 2. Conveniens quoque fuisse, ut tertio die resurgeret, tum ad implenda vaticinia & ipsius Christi demonstrationem de resurrectione tertia die futura; tum ad demonstrandam illius veram humanitatem & mortem, ad quam demonstrationem requirebatur, ut non statim resurgens. Porro per tres dies & noctes docent non intelligendos tres integros dies & noctes, sed unum totum, nempe Sabbatum, & duos non integros, scilicet Feriæ Sextæ & diei Dominicæ; sic enim sapius in communi modo loquendi dies & noctes accipiuntur, uti pluribus Tannerus n. 96. demon-